

rursus vergat ad polum, & tunc omnium stellarum dispositionem videbis in caelo, neque aliter ordinatum ac in praecedenti figura constitutum sunt, Sed & alia ex alia semper apparebit fietque nota magis, precipue si accommodes ad vrsam maiorem, siue, vt vulgus loquitur, plaustrum.

Neque dissimili modo etiam Planetas dignoscas, vbi illos principio accurate in hac figura secundum longitudinem & latitudinem suam imaginatus fueris in signo certo, Gradus autem tam longitudinis quam latitudinis planetarum inuenies partim in singulis Ephemeridibus partim non Paulo tamen expeditius tum exactius ex Astronomico nostro. Atque haec pro cognitione stellarum sufficiant, Nunc porro doceamus per easdem horas inuenire nocturnas.

PROBLEMA SEXTVM.

*Quibus modis noctu cognitis iam
stellis fixis horam inuenias?*

Quod si forte vel serena nocte, vel aliis quum vix per nubila stellam cernis, horam scire desyderas, locum stellae quere in Zodiaco tuae regionis per problema decimum primae partis, atque illuc repone Brachiolum cum puncto P. foramine nimirum illo quo filum dependet, Deinde filum pone super eleuationem poli in scala meridionali quae ad laeuam iuxta horam 12. descendit (sicut in problema quinto primae partis iam supra est edoctus) descripta per quinaros singulos usque in 65. & margaritam colloca super eundem polaris eleuationis gradum. Insuper Horoscopion in altum subleua ante faciem tua, teque ipsum recta conuerte versus stellam, & eam per pinnacidia intueri diligenter, cuius beneficio horam inuenire desyderas, Hoc etiam obseruato, vt instrumenti partem illam quae ad sinistram est ad te conuertas, pinnulam quoque istam oculo tuo adhibeas, cui proxime terrae globus paruulus depictus est, alterum vero pinnacidium ad stellam conuerte, pinnacidium inquam quod est iuxta globum aliquot stellis depictum, cuique crux adposita est. Quando ergo sedulo sic stellam per pinnacidium conspicias, obserua super quam horam incidat vnio inter lineas horarias desuper decedentes (vt supra problemate 4. primae partis docuimus) atque ibidem vide horam & partes illius secundum quod vnio leu margarita demonstrat

EGREGIA CAUTE LA OBSERVANDI quartas & minuta horarum.

En hic consilium fidele tibi, subinde considera an aliquam ex 16. istis stellis penes ortum aequinoctialem inuenias, neque id nimis demisse, sed ea penes altitudine qua Sol in aestate circa horam 7. aut 8. ante meridiem consistit. Sin autem horam accipis per stellam occidenti proximam, vide tamen vt ea quoque vt minimum tanta stet sublimitate ab Horizonte quanta Sol in aestate circa 4. aut 5. post meridiem est ab eo eleuatus. Neque tamen hoc sic intelligas quasi non vbilibet in caelo per aliquam harum stellarum horam inuenias quam voles, sed haec tibi sit hic ratio, quia horae quoque magis ad 12. accedunt eo fiunt angustiores, ideo minuta earundem minus discerni possunt, sexta autem Horoscopii huius quum ex utraque amplior est & speciosior fit vt non paulo etiam sit aptior dignoscendis vel minutissimis partibus orarum.

CANON.

Inuenta iam hora stellae per vnionem siue margaritam, hora inquam illa, quantum stella distat a medio caeli, vnde obseruare addecet, te horam stellae tantum accipere in numeris 1. 2. 3. 4. &c. supputando a 12. iuxta scalam meridionalem, Namque si stella sita est versus ortiuam caeli plagam numeri illi 1. 2. 3. &c. ostendunt, quot nam horas stella adhuc habeat ad caeli medium. Sin autem versus occidentem posita est stella, numeri isti spacium te docent quo stella distet a medio caeli. Atque illos numeros horarios videbis descriptos nigris in imo Horoscopii per transversum, Inuenta ergo sic hora stellae, stellam hanc quere
in imag